

tur in sola prima imagine objectorum, quæ sese obtulerunt, nulla ulteriori eorum cognitione comparata &c. idem de scepticis quodammodo potest affirmari.

10. Sed jam de Admiratione multa factis dicta videntur, alia alii loco & tempori reservo, & postquam de affectibus & speciatim de admiratione tractavi, utilissimam de sensibus doctrinam, quam clavem philosophiæ haut immeritiò dixeris, aggrediar.

EXERCITATIO LXXXIII.

Initium Dialogi inter Quintum & Romulum, ubi quaeritur, an omnis cognitio nostra petatur à sensibus externis & quis inter eos præcipuus.

I. *Qu.* **N**UPERIS diebus de simplicibus animi notionibus seu conceptibus multa differentes eò perveneramus, ut inquirendum esset, unde accipiamus varias adeo cogitationes, sive, à quibus causis pendeat quòd mens humana res tam differentes & multiplices sibi repræsentare earumque in semet ipsa imagines formare valeat. Nunc igitur cùm hujus quæstionis gratiâ convenimus, initio recenseas velim, quid communi-

muni-